

tio libro ¹, dicens: Unum enim ens Christus non potest servus esse sui ipsius et dominus. Sed in tantum Christus dicitur servus Patris, in quantum est ei subjectus. Ergo Christus non est subjectus sibi ipsi.

2. Præterea, servus refertur ad dominum. Sed relatio non est alicujus ad se ipsum: unde et Hilarius dicit in libro de Trinitate ², quod nihil est sibi simile aut æquale. Ergo Christus non potest dici servus sui ipsius, et per consequens nec sibi esse subjectus.

3. Præterea, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, ut Athanasius dicit ³. Sed homo non dicitur subjectus sibi ipsi, vel servus sui ipsius, aut major seipso, propter hoc quod corpus ejus subjectum est animæ. Ergo neque Christus dicitur subjectus sibi ipsi propter hoc quod ejus humanitas subjecta est divinitati ipsius.

Sed contra est quod Augustinus dicit in primo de Trinitate ⁴: Veritas ostendit secundum istum modum, quo, scilicet, Pater major est Christo secundum humanam naturam, etiam se ipso minorem Filium.

2. Præterea, sicut ipse argumentatur ibidem, sic accepta est a Filio Dei forma servi, ut non amitteretur forma Dei; sed secundum formam Dei, quæ est communis Patri et Filio, Pater est Filio major secundum humanam naturam. Ergo etiam est major seipso secundum humanam naturam.

3. Præterea, Christus secundum humanam naturam est servus Dei Patris, secundum illud Joannis vigesimo: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. Sed quicumque est servus Patris, est servus Filii; alioquin non omnia quæ sunt Patris essent Filii. Ergo Christus est servus sui ipsius, et sibi subditus.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est ⁵) esse dominum et servum attribuitur personæ vel hypostasi secundum aliquam naturam. Cum ergo dicitur Christus esse dominus vel servus sui ipsius, vel quod Verbum Dei est dominus hominis Christi, hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut intelligatur hoc esse dictum ratione alterius hypostasis vel personæ, quasi alia sit persona Verbi Dei dominantis et alia hominis servientis; quod pertinet ad

¹ Fid. orth., c. 21, parum a med.

² Lib. 3, non multum remote ante finem.

³ In suo Symbolo fidei.

⁴ C. 7, ante medium, tom. 3.

⁵ Art. præc., ad 2.

hæresim Nestorii. Unde in condemnati ne Nestorii dicitur in synodo Ephesina ¹. Si quis dicit Deum vel Dominum esse Christi ex Deo Patre Verbum, et non magis eundem ipsum confitetur simul Deum et hominem, utpote Verbum factum carnem, secundum Scripturas, anathema sit. Et hoc modo negatur a Cyrillo et Damasceno ². Et sub eodem sensu negandum est, Christum esse minorem seipso, vel esse sibi subjectum. Alio modo potest intelligi secundum diversitatem naturarum in una persona vel hypostasi. Et sic dicere possumus, secundum unam earum, in qua cum Patre convenit, simul eum cum Patre præesse et dominari; secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse et servire. Et per hunc modum dicit August. ³, Filium esse seipso minorem. Sciendum tamen, quod cum hoc nomen, Christus, sit nomen personæ, sicut et hoc nomen Filius, illa per se et absolute possunt dici de Christo, quæ conveniunt ei ratione suæ personæ, quæ est æterna; et maxime hujusmodi relationes, quæ magis proprie videntur ad personam vel hypostasim pertinere. Sed ea, quæ conveniunt sibi secundum humanam naturam, sunt ei potius attribuenda cum determinatione, ut, videlicet, dicamus Christum esse simpliciter maximum, et dominum, et presidentem, quod autem sit subjectus, vel servus, vel minor, est ei attribuendum cum determinatione, scilicet, secundum humanam naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod Cyrillus et Damascenus negant ⁴ Christum esse dominum sui ipsius, secundum quod per hoc importatur pluralitas suppositorum, quæ requiritur ad hoc, quod aliquis simpliciter sit dominus alicujus.

Ad secundum dicendum, quod simpliciter quidem oportet esse alium dominum, et alium servum; potest tamen aliqua ratio dominii et servitutis servari, prout idem est dominus et servus sui ipsius, secundum aliud et aliud.

Ad tertium dicendum, quod propter diversas partes hominis, quarum una est superior, et alia inferior, dicit etiam Philosophus, in ⁵ Ethicorum, quod est hominis ad se ipsum justitia, in quantum irascibilis et concupiscibilis.

¹ In Conc. I Ephesin., cui præfuit Cyrillus, can. 6.

² Locis in argum. 4 citatis.

³ Lib. 1 de Trin., capit. 7, ante medium, tom. 3.

⁴ Locis in argument. citatis.

⁵ C. ult., tom. 5.

bilis obediunt rationi. Unde per hunc modum etiam unus homo potest dici sibi subjectus et serviens, secundum diversas sui partes.

Ad alia autem argumenta patet responsio ex dictis. Nam Augustinus ³ asserit Filium se ipso minorem esse, vel sibi subjectum, secundum humanam naturam, non secundum diversitatem suppositorum.

COMMENTARIUS.

1. Quæstio hujus articuli fere eadem est cum quæstione articuli præcedentis, solumque est a D. Thoma proposita, tum ad concilianda diversa Sanctorum dicta, tum ut doceret, majorem circumspectionem in locutione hæc servandam esse, quoniam hæc relationes, *subjecti, minoris aut servi*, videntur distinctionem suppositorum requirere et indicare. Et ideo respondet, has locutiones simpliciter non esse usurpandas, propter dictam causam; et ita exponit Cyrillum et Damascenum, quos citat; cum illo vero addito, *in quantum homo*, dicit esse admittendas, cum Augustino, lib. 1 de Trin., c. 7 et 8.

2. *Dubium.*—*Responsio.*—Solum potest circa litteram hujus articuli dubitari de sensu cujusdam regulæ, quam in fine corporis D. Thomæ adjungit. Dicit enim, relationes, quæ conveniunt Christo ratione suæ personæ, simpliciter et sine addito esse de illo prædicandas, ut esse dominum, superiorem, etc.; relationes vero quæ illi conveniunt ratione humanæ naturæ, esse prædicandas cum determinatione prædicta: aut enim D. Thomas hoc intelligit de his prædicatis, quando simpliciter dicuntur sine explicatione alicujus termini; et hoc modo nulla est differentia, quia, sicut Christus dicitur simpliciter dominus, ita potest dici simpliciter subjectus, juxta dicta articulo præcedenti; aut loquitur de his prædicatis, quando in illis explicatur terminus, qui sit ipsemet Christus, ut in præsentis articulo tractatur quæstio; et in hoc sensu nulla est differentia, quia, sicut Christus non potest simpliciter dici subjectus sibi sine addito, ita nec potest dici dominus sui sine determinatione; est enim eadem ratio, quia non minus una relatio quam altera indicat distinctionem suppositorum, et ideo necessaria est determinatio naturæ, per quam hic error excludatur. Respondetur cum Cajetano, regulam intelligendam esse in priori sensu, nam in pos-

³ Lib. 1 de Trin., cap. 7, tom. 4.

teriori nulla est differentia, ut ratio facta concludit, in priori autem sensu potest variis modis intelligi. Primo, ut illa differentia non fundetur in necessitate simpliciter, seu in rigore propositionum, sed ut convenienti modo loquamur ad vitandum periculum erroris, et hoc quidem est verum, sed non satis rem explicat. Secundo, ut semper, et in omnibus locutionibus necessaria sit illa differentia, seu determinatio, ut propositio in rigore vera sit. Et hoc non videtur necessarium, nec ad mentem D. Thomæ, ut ex articulo præcedenti colligitur, et ex dicendis constabit. Tertio, sensus esse potest, prædicata significantia relationem convenientem Verbo ratione divinitatis, seu personæ suæ, semper et in universum posse dici simpliciter et absolute de Christo; alia vero, quæ significant subjectionem, vel aliam similem imperfectionem, non semper dicenda esse simpliciter de Christo, sive hoc sit propter rigorem sermonis, sive propter vitandum periculum; utroque enim modo contingere potest, ut dicemus.

DISPUTATIO XLIII.

In quatuor sectiones distributa.

DE SUBIECTIONE ET OBEDIENTIA CHRISTI, ET PRÆCEPTIS QUORUM EST CAPAX.

1. *Christus quomodo minor sit Patri.*—Ex tribus illis prædicatis, quæ D. Thomas in his articulis attigit, scilicet, *minor, subjectus, servus*, primum nullam difficultatem habet, quæ in re posita sit, et ad præsentem disputationem pertineat. Quod enim Christus, ratione personæ suæ et propriæ naturæ divinæ, non sit minor Patri, sed æqualis illi, non hoc loco, sed in materia de Trinitate ex professo tractandum est, et in disp. 2 hujus materiæ, quæ præsentis negotio sufficere videbantur, diximus; quod autem Christus, ratione humanitatis, et secundum illud esse quod ab illa habet, sit minor Patri, et seipso ut Deo, nullus dubitare potest. Quandoquidem constat humanam naturam esse inferiorem divinam, ut ipsemet Christus confessus est, Joann. 14: *Pater major me est*, juxta veriore et communiorem expositionem. Alia enim expositio quorundam Græcorum, qui de persona divina ratione originis hoc intelligunt, minus propria est, et pie explicanda, ut latius in materia de Trinitate dicendum est. Quod vero pertinet ad modum loquendi, existimo illam locutionem, Christus est minor

Patre, non esse sine sufficienti determinatione usurpandam; in illo enim loco Joan. 14 satis ex circumstantiis constabat, Christum de se ut homine loqui; sic enim inquit: *Si diligetis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*; discedebat enim ab eis secundum humanitatem, et secundum illam ad Patrem ibat; et eodem sensu illum, majorem se appellat; requiritur ergo determinatio, non solum propter vitandum periculum erroris, sed etiam in rigore sermonis; quia si simpliciter fiat comparatio, in rigore fit inter personas, vel inter illud totum, quod Christus est, et Patrem; in quo sensu non potest dici simpliciter minor. Item, quia hæc locutio: *Verbum aut Filius est minor Patre*, simpliciter falsa est, sine ulla dubitatione; ergo nec Christus dicendus est simpliciter minor, quia nulla est ratio cur dicamus hoc prædicatum, *minor*, habere eam vim limitandi subjectum, ut formaliter pro Christo tantum ut homine supponat. Addatur ergo determinatio, quæ multo magis necessaria erit, si comparatio fiat ad personam Verbi seu Filii, ut ex dictis circa art. 2 constat. Solum potest obstare auctoritas D. Thomæ hic, art. 1, ad primum, ubi tantum ait, convenientius esse apponere determinationem ad evitandum errorem Arij, qui posuit Filium minorem Patre. Ac deinde sumi potest argumentum, quia nulla apparet specialis ratio ob quam non possit de Christo simpliciter dici esse minorem Patre aut Deo, sicut alia prædicata ab humanitate sumpta simpliciter de illo enunciantur. Respondetur ad D. Thomam, asserere quidem esse convenientius determinationem apponere, non negare autem, ex vi et rigore sermonis esse necessarium, neque hoc examinasse, sed omisisse tanquam rem minoris momenti. Vel certe ita locutus est, quia non semper est necessarium explicitè addere determinationem illam, sed satis est quod ex antecedentibus et consequentibus colligatur; nam illa est quædam virtualis et implicita determinatio; tamen, quia hoc interdum est ambiguum, ait D. Thomas convenientius esse, regulariter loquendo, determinationem addere. Ad rationem, ex his quæ diximus, facile colligi potest differentia inter hoc prædicatum et alia. Quæ dupliciter potest declarari. Primo, quia hoc prædicatum, *minor*, est relativum et comparativum; unde absolute Christo attributum respectu Patris comparat totum id quod est Christus, cum Patre, et affirmat esse aliquid minus illo,

quod simpliciter falsum est, quia in Christo aliquid est, quod non est minus quam Pater. Secundo, et clarius (quamvis in re idem sit) quia prædicatum *minor*, includit negationem repugnantem supposito Christi; prædicata autem, quæ sunt hujusmodi, vel nullo modo attribui possunt Christo, etiam cum determinatione, *ut homo*, si fortasse illa non sufficiat ad impediendam vel tollendam illam negationem, sicut contingit in hoc prædicato, *filius adoptivus*, ut suo loco dicitur. Vel saltem non enunciantur de Christo sine determinatione, *ut homo*, quando illa sufficit ad limitandam negationem ad esse humanum, ut contingit in hoc prædicato, *inceptit esse*, vel in hac voce, *creatura*, rigorose sumpta. Ita ergo est in præsentem, nam minor includit negationem æqualis; imo illa negatio est veluti fundamentum aut proxima conditio fundans illam relationem; hæc autem negatio repugnat Verbo divino; unde nullus, ut existimo, concedet hanc locutionem simpliciter, et sine addito, *Christus non est æqualis Patri*; cum determinatione autem, *in quantum homo*, recte conceditur, quia limitatur negatio ad esse humanum; idem ergo est de prædicato *minor*. Alia vero prædicata, ab humanitate sumpta, non semper includunt negationem similem, ut constat ex supra dictis, q. 16. Et signum, quod supra adduxi, recte declarat hanc differentiam, nam alia prædicata, quæ dicuntur de Christo simpliciter sub nomine Christi, dicuntur etiam sub nomine Verbi, aut Filii Dei, vel Dei, regulariter loquendo, ut esse passum, mortuum, etc. At vero in præsentem, de Verbo aut Filio Dei non potest absolute dici non esse æqualem, aut esse minorem Patre. Quis enim audeat ita loqui? Signum ergo est, inter hæc et alia prædicata humanitatis esse aliquam differentiam, ob quam non possint illa in rigore dici de Christo simpliciter, sed tantum cum determinatione, *ut homo*.

2. Omissa ergo relatione *minoris*, seu *inæqualis*, de aliis duabus, *subjectionis*, et *servitutis*, sigillatim disputandum est, quia aliquo modo distinguuntur, et proprias difficultates habent, ut videbimus. Quia vero *subjectio* relationem quamdam dicit ad præceptum et obedientiam, consistit enim subjectio in capacitate præcepti, et ad illum proprie dicit relationem qui potest præcipere, unde proprius actus personæ subjectæ, ut sic, est obedire; ideo de his omnibus hoc loco dicendum est, et prius erit res ipsa explicanda, scilicet, quo

modo Christus capax præcepti fuerit, et quibus præceptis fuerit subjectus, et deinde modum loquendi breviter explicabimus.

SECTIO I.

Utrum Christus Dominus fuerit capax præcepti cui esset subjectus.

1. Ratio dubitandi est, quia præcepta habent vim coactivam, unde illud directe cadit sub præceptum, ad quod lex cogit, ut D. Thomas docet, 1. 2, q. 90, art. 3, ad 2, et q. 100, art. 9; et ideo nullus potest imponere legem, nisi qui potestatem habet coactivam, ut efficaciter possit inducere ad observationem legis; ergo solus ille est capax præcepti, qui subdi potest virtuti coactivæ; hoc autem Christo repugnat; ergo. Confirmatur primo, et explicatur, quia obligatio præcepti includit hanc divinam comminationem. Si hoc non feceris, eris mihi inimicus. Sed hæc moraliter fieri non potest nisi ad eum qui potest fieri inimicus, quod Christo repugnat; ergo similiter illi repugnat vera ac propria obligatio legis et præcepti. Unde confirmatur secundo, quia Christus est impeccabilis ab intrinseco, et ex natura sua; ergo non est capax præcepti. Patet consequentia, quia præceptum obligat sub reatu culpæ; hæc vero obligatio non cadit nisi in eum qui est capax culpæ. Tandem confirmatur, quia Christus est supremus dominus; habet ergo potestatem dispensandi in omni lege; poterat ergo secum dispensare; non ergo obligatur.

2. Propter hæc nonnulli opinati sunt, Christum non esse capax præcepti. Distinguunt tamen inter præceptum et mandatum, ut præceptum sit vera lex, veram obligationem inducens, cujus transgressio justitiæ seu obedientiæ contraria sit; mandatum vero latius patet, et significat non solum rigorosum præceptum, sed etiam quamcunque directionem, seu regulam, quæ aliquid mandat, seu potius ordinat, aut commendat tanquam conveniens, seu melius; quæ distinctio fundamentum habet in D. Thom. 1. 2, q. 99, art. 5; ubi ex Hieron. refert, in præceptis esse justitiam, in mandatis charitatem; quod dictum habetur in Glossa ordinaria, in præmio in Marcum. Dicitur autem præceptum continere justitiam, quia continet jus superiori debitum, et ejus observantia ad rectitudinem morum necessaria est; mandatum vero dicitur continere charitatem, quia ejus observantia non est in rigore necessaria, nec fundatur in jure supe-

riori debito, sed in quadam amicitia seu perfectione. Habet etiam hæc distinctio fundamentum in Chrys., Theophyl., et aliis sectione ultima citandis. Dicunt igitur Christum non esse capax proprii præcepti, quia non est capax propriæ obligationis, ut rationes factæ videntur probare; dicunt tamen fuisse capax mandati, tum propter testimonia Scripturarum infra citanda; tum quia per modum directionis potuit intelligere quid Deo esset gratius, ut illud quasi commendatum haberet ad volendum et exequendum.

3. *Quid discriminis inter consilium et præceptum versetur.* — Ut tamen certo constet de quo sit disputatio, suppono quæstionem hanc tractari de proprio præcepto, ut a consilio distinguitur, et est vera lex superioris; hoc enim vox ipsa in rigore significat; et idem significat vox, *mandatum*, ut constat ex omnium Latinorum usu; alia enim significatio minus propria est et non adeo usitata. Est autem de ratione proprii præcepti et legis ut obligationem inducat, quæ obligatio necessitatis interdum appellatur, et debitum, ut constat ex D. Thoma 1. 2, q. 90, art. 4, ubi ait esse proprium legis habere virtutem obligandi, et 2. 2, q. 104, art. 4, 5 et 6, ait præceptum includere quamdam justitiæ necessitatem; et idem significat hac 3 p., q. 47, art. 2, ad secundum. Idem Cajet. 2. 2, q. 104, art. 1, ad finem; Durand., in 1, dist. 37, q. 40, n. 14 et 15. Et a posteriori declaratur, quia non est aliud in quo possit præceptum a consilio distingui, præsertim quando ab eodem legislatore vel consultore, Deo nimirum, manant. Nam per consilium Deus dirigit alium ad id faciendum quod consulit, eique suum iudicium manifestat, quod id melius esse iudicat; imo et suam voluntatem ad id magis propensam ostendit; solumque deficit a ratione præcepti, quia per consilium non intimat Deus homini talem voluntatem suam, qua velit illum obligare ad id faciendum quod consulit; ergo hæc voluntas est de ratione legis, sive in illa consistat formaliter, sive tantum sit radix et quasi anima legis; vis ergo obligandi, et inducendi debitum seu obligationem est de ratione legis. Atque hoc modo distinguere videtur consilium a præcepto Paulus, 1 Cor. 7; cum enim dixisset: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, subdit inferius: *Qui statuit in corde suo, non habens necessitatem*, scilicet, quam præceptum inducit, *potestatem autem suæ voluntatis*, scilicet, eligendi id quod con-

sullitur, servandi, verbi gratia, virginitatem. Atque ita hunc locum et hanc differentiam declararunt Cypr., serm. de Nativ. Christ., in fin.; Aug., l. de Sancta Virgine, c. 30, et lib. 1 de Adult. conjug., c. 14 et 15; Amb., ep. 82, longe ante med.; Hieron., ep. 22 ad Eustoch., de Servand. virgin., parum ante med., et lib. 1 cont. Jovinian., aliquantulum a principio; Chrys., hom. 63 in Mat., et omnes Pauli expositores, loco citato.

4. Ac denique a priori declaratur: nam actus consilii per se non est actus superioris, quia non est actus jurisdictionis; et idem est de quacunq[ue] voluntate vel desiderio, quo unus velle potest ut alius hoc faciat aut velit; sola autem voluntas obligandi, et præceptum ab ea manans, et intimans seu inducens obligationem, est proprie actus superioris habentis jurisdictionem in subditum, ad determinandum illum moraliter ac politice ad aliquid faciendum; hoc autem non facit, nisi obligando et quasi coarctando illum ad id quod præcipit, ut non possit aliud jure seu honeste facere.

5. *Illatio ex dictis.* — Ex quo infero, de ratione proprii præcepti esse ut ejus transgressio vel omissio, libera ac sufficienter voluntaria, peccaminosa sit et prava. Loquor autem de proprio præcepto, ut omittam legem pure pœnalem, vel regulam pure directivam, formaliter vel virtualiter obligantem ad pœnam; quia vel hæ non sunt proprie leges, sed pacta quædam seu conventiones quibus subjiciuntur tali pœnæ, qui hoc fecerint, etiamsi eo in non peccent; vel, si leges sunt, non obligant determinate ad talem actum, sed ad hoc disjunctum, vel ad faciendum actum, vel, si non fecerit, ad pœnam impositam acceptandam et solvendam. Illis autem præmissis, quæ in Christo locum non habent, non potuit illi verum præceptum imponi, quin veram obligationem induceret, et necessitatem moralem talis actus vel bonitatis ad bonos mores, ut quæst. etiam 18 tractatum est. Quapropter fieri non potuit ut imponeretur præceptum verum, quin consequenter induceretur necessitas servandi illud ad vitandam culpam, ac Dei inimicitiam, si præceptum intelligatur esse de re gravi, et in hoc consistit difficultas tacta, quod in hoc præcepto includitur comminatio, Nisi hoc feceris, privaberis divina amicitia, quæ videtur indecens respectu Christi.

6. *Christus quomodo capax præcepti.* — Nihilominus tractando de præcepto in hac pro-

prietate sumpto, dicendum est Christum hominem proprie et vere fuisse capacem præcepti quoad vim directivam ejus, et obligationem faciendi quod lex præcipit, et vitandi quod prohibet. Hæc est sine dubio sententia D. Thomæ, hoc loco, et infra, q. 47, et communis, ut ex iis, quæ in sequentibus dicemus, plane constabit; et videtur posse sumi ex sexta Synod., act. 17, in definitione fidei, ubi definiuntur duæ Christi voluntates non contrariæ, quia voluntas humana non resistebat nec reluctabatur, sed subjecta erat divinæ voluntati: *Oportebat enim, inquit, carnis voluntatem moveri, subjicique voluntati divinæ, juxta sapientissimum Athanasium.* Potest etiam ex sacra Scriptura probari. Psalm. enim 39 de Christo dicitur, ut Aug., Euthym., et alii, imo et Paulus ad Hebr. 10, exponunt: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei;* et alia plura et urgentiora afferemus infra, agentes de speciali præcepto moriendi pro hominibus. Ratione probatur primo, quia voluntas Christi humana non erat sibi regula suorum actuum, habebat enim superiorem, a qua poterat dirigi et gubernari; ergo Christus, secundum hanc voluntatem humanam, poterat a superiori recipere talem regulam suorum actuum, ut ad honestatem morum necessarium esset illi se conformare; hæc autem regula est lex, seu præceptum; ergo. Secundo, Christus, ut homo, est subjectus Patri; ergo subjici potest legibus ejus. Quo argumento tacite concedit et concludit D. Thomas 1. 2, q. 93, artic. 4, ad 2, Christum ut hominem esse subjectum legi æternæ; antecedens probatur a D. Thoma hic, et inferius tractabitur. Nunc breviter declaratur: quia Christus ut homo est creatura; ergo subjecta creatori; illud enim dicitur subjectum, quod est sub potestate alterius; nihil autem magis est sub alterius potestate, quam creatura sub creatore. Rursus, non est quæcunque creatura, sed rationalis; ergo subjicitur ut creatura rationalis, et libera libertate creata; propria autem subjectio hujus creaturæ est, ut præcepto superioris subdatur. Tertio, in Christo Domino fuerunt virtutes creatæ, etiam illæ quæ respiciunt superiorem; habuit enim veram religionem, qua Patrem colebat, et ad illum orabat, veram humilitatem, verum timorem, et similia, ut in superioribus ostensum est; ergo et veram et propriam obedientiam, est enim eadem ratio, præsertim cum Scriptura sacra

hanc virtutem in illo maxime commendat; quæ proprie intelligenda est, cum commode possit; vera autem ac propria obedientia non est nisi ubi potest intervenire præceptum.

7. *Responsio ad argum.* — *Vis coactiva non est de necessitate præcepti.* — Neque contra veritatem hanc obstant rationes factæ. Ad primam enim respondetur primo, de ratione præcepti tantum esse ut faciat actum necessarium ad rectitudinem et honestatem virtutis, et hæc proprie dicitur vis directiva præcepti; vis autem coactiva, quæ respicit comminationem pœnæ, non est per se ac simpliciter necessaria ad præceptum. Quia in præcepto per se tantum est intenta moralis determinatio et directio ad actus morales; hæc autem sufficienter fit per intimationem voluntatis superioris inducentis obligationem. Igitur comminatio per se necessaria non est ad præceptum, sed, ad summum, secundario ad illud pertinet; et accommodari debet juxta capacitatem ejus cui imponitur præceptum; unde, si ille non est capax transgressionis, nulla coactione aut comminatione pœnæ indiget, et ideo in eo potest habere locum præceptum quoad vim directivam sine coactiva; sic enim interdum princeps obligatur suis legibus quoad vim directivam, non tamen quoad coactivam; et in beatis sunt præcepta sine ulla comminatione.

8. Secundo dicitur ad argumentum, simul cum prima confirmatione, in præcepto præsertim divino contineri in virtute illam comminationem, quæ per illam conditionalem explicatur, *Nisi hoc feceris, eris mihi inimicus;* non est tamen necesse ut formaliter et et directe fiat talis comminatio. Ut autem Christus sit capax præcepti virtute continentis comminationem illam, satis est ut natura ejus humana, secundum se considerata, et prout esse posset in proprio supposito, sit capax illius status, et pœnæ quæ per illam conditionalem explicatur; vel certe satis est ut talis natura habeat aliam superiorem, cujus voluntatem respicere debeat tanquam regulam suæ voluntatis. Nam ex hoc fit ut a superiori illa voluntate præscribi possit aliquid, ut necessarium ad honestatem morum, seu ad charitatem conservandam, in quo in virtute continetur illa conditionalis; quamvis ipsa ratio præcepti melius et formaliter explicetur per hanc affirmativam et absolutam propositionem: Hoc præscribitur per præceptum tanquam necessarium ad virtutem seu charitatem, quam per illam conditionalem,

seu negativam: Si hoc non feceris, non eris mihi amicus.

9. Unde ad secundam confirmationem respondetur, Christum esse impeccabilem ratione suppositi, voluntatem autem humanam ejus ex se et ex natura sua non esse impeccabilem, et hoc satis esse ut sit capax præcepti; quamvis enim sit unita Verbo, semper tamen manet inferior et subdita, licet per ipsammet superiorem voluntatem ita gubernetur, ut non possit a bono deficere.

10. Ad ultimam confirmationem primum dicitur, quædam præcepta esse omnino indispensablem; deinde non sequi: Potest secum dispensare; ergo non tenetur legibus. Princeps enim suis legibus obligatur, et tamen potest secum dispensare sicut cum aliis; imo ex dispensatione possibili, potius inferitur obligatio legis, quia non habet locum dispensatio, nisi ubi intercedit obligatio. Tandem (quod ad rem spectat), licet Christus, ut Deus, sit supremus omnium dominus, et ideo ut sic non sit capax præcepti, tamen Christus, ut homo, non habet supremum dominium per voluntatem humanam; imo secundum illam non potest non esse sub potestate alterius, et ideo ejus legibus subdi potest.

SECTIO II.

Quibus legibus fuerit Christus subjectus, vel subjici potuerit.

1. *Lex divina quotuplex.* — Hæc quæstio præsertim tractanda est de divinis legibus; nam hoc loco præcipue agimus de subjectione Christi ad Deum; tamen per occasionem, et ad complementum materiæ, dicendum etiam erit de legibus humanis; lex autem divina duplex est, altera naturalis, altera positiva, quæ dividi ulterius potest in legem communem, seu generaliter Ecclesiæ aut populo Dei propositam, ut fuit lex vetus, et est nunc lex gratiæ; et in specialem, ut si Christus habuit aliquod speciale præceptum sibi impositum. De hoc dicemus sectione sequenti; cætera hic breviter expediri possunt.

2. Dico ergo primo: Christus Dominus subjectus fuit legi Dei æternæ seu naturali. Ita docet S. Thom., 2. 2, q. 93, art. 4, ad 2, ubi de æterna lege loquitur; sed est eadem ratio de naturali. Et eam docet late Joan. Medina, codice de Pœn., tract. 3, q. 1, ubi, licet in aliis multis de merito et satisfactione Christi minus digne sentiat, in hoc tamen bene loquitur; immerito tamen existimat hanc obli-